

## CASUS CANONICO—MORALIS

### DE SPONSALIBUS

MARCELLUS, amore captus erga Columbam, blandis verbis eam saepius ad fornicationem seducere conatus est. Columba recusat nisi Marcellus promittat eam quantocius in uxorem ducere. Mox, gaudio exultantibus parentibus, celebrata sunt sponsalia, anulum sibi invicem tradentibus sponsis. Accidit quod post breve temporis spatium, Columba Marcelli praecibus caedit. Sed pro dolor! Paucis transactis mensibus, Marcellus aliam puellam prosequitur cujus indoles libidinosa majorem ei praebet satisfactionem. Igitur Marcellus, relicta Columba, nova iniit sponsalia cum hac puella. Hoc audito, Columba, lacrimabunda, parochum adiit ut Marcellum impediatur quominus ad matrimonium cum secunda puella transeat.

Una fere hebdomada antequam matrimonium celebret Marcellus confessarium accedit ei que haec omnia in confessione pandit. Confessarius interrogat Marcellum utrum in promissione Columbae facta seriam firmitatem voluntatem habuerit illam in uxorem ducere. Marcello affirmanti confessarius, verbis gravibus et quasi quasi sub absolutionis denegatione, sponsum obligat, et quidem sub peccato gravi et onere reparandi omnia damna praesertim illa quae ex fornicatione orta sunt — etsi filii nati non sint — Columbam in uxorem ducere et aliam relinquere.

#### QUAERITUR

- I. Quaeenam condiciones ad validitatem sponsalium requirantur?
- II. Utrum valida sponsalia gravem obligationem pariant contrahendi matrimonium?
- III. An parochus impedire possit Marcellum quominus ad matrimonium transeat cum secunda puella?
- IV. An confessarius, de quo in casu, recte egerit?

#### SOLUTIO

Ad I. Ad valorem sponsalium tria requiruntur:

*Ut matrimonium futurum validum sit atque licitum.* Ratio est quia promissio de re impossibili vel illicita omnibus viribus caret. Aliqui censent quod si matrimonium foret validum sed illicitum, promissio erit illicita tantum. Sed immerito; nam 'in malis promissis fidem non expedit observare'. R.J. 68, in VI. Unde quaelibet promissio matrimonialis, etiam sponsalitia, de matrimonio illicito, etsi jurata et copula secuta, est

prorsus nulla.<sup>1</sup>

Ex dictis sequitur quod qui aliquo impedimento matrimoniali indispensabili laborat vel qui, si dispensabili, absoluto modo contrahit, h. e. sine illa conditione de petenda dispensatione, invalide agit.

Illiceitas futuri matrimonii aliquando per accidens tantum obstare potest, ita v. g. promissio de ineundis nuptiis facta ab initio, non postea, cum conditione non praemittendi confessionem aut non obtinendi absolutionem a censuris. Hoc in casu sponsalia irrita sunt, quia matrimonium futurum erit illicitum licet per accidens.<sup>2</sup> Idem dic quoad filiosfamilias qui, juste dissentientibus parentibus, sponsalia contrahunt. Hoc enim in casu matrimonium futurum saltem illicitum evaderet. Alia quaestio est quando revera parentes juste et rationabiliter dissentiant.<sup>3</sup>

*Ut partes verum consensum habeant.* Ratio est quia quilibet contractus sine consensu in objectum contractus viribus caret. Consensus vero matrimonialis se tenet ex parte intellectus et ex parte voluntatis. Ex parte intellectus necesse est sponso satis dignoscere quid sit matrimonium et quaenam vis et natura promissionis. Ex parte voluntatis, ut hanc promissionem libere emittant. Sequitur proinde quod error qui irritat matrimonium,<sup>4</sup> irritat etiam promissionem. Alius error non irritat licet causam contractui dederit aut ex dolo alterius partis provenerit. Etiam metus qui matrimonium irritat,<sup>5</sup> irritat quoque promissionem matrimonii. Si metus matrimonium non irritat et est levis et mere concomitans, neque rescindibilem reddit promissionem; si hic metus dat causam contractui, Gasparri putat eum, jure Codicis, irritare promissionem.<sup>6</sup>

Ex dictis sequitur etiam quod ebrii, semi-ebrii, amentes, dementes alii-ve qui ex mentis deficientia matrimonium valide contrahere nequeunt, nec matrimonium valide promittere possunt. Non ita tamen surdi vel muti vel surdi-muti quia hi debitam mentis discretionem habere possunt. Imo et promissio in aestu passionis, inter amplexus et oscula, valida erit si debita deliberatione et advertentia non caret.

Circa validitatem sponsalium initorum ante septennium, res non est

<sup>1</sup> Gasparri P., *De Matrimonio*, ed. nova, 1932, I, n. 56, citans D'Annibale, Reifensuel aliosque.

<sup>2</sup> Gasparri P., op. cit., n. 60.

<sup>3</sup> Parentes censentur rationabiliter inviti quando sponsus vel sponsa malis sunt imbuti moribus, vel quando matrimonium in dedecus manifestum familiae redundat, vel quando ex matrimonio gravia scandala et dissensiones timendae sunt. Quoad disparitatem conditionis, nobilitatis vel divitiarum non satis constat. Cfr Jorio-Tummolo, *Compendium Theologiae Moralit*, Neapoli, 1935, II, n. 709 ad II.

<sup>4</sup> Vide Can. 1083.

<sup>5</sup> Vide Can. 1087.

<sup>6</sup> Gasparri P., op. cit., n. 67.

omnino clara. Aliqui doctores exigunt aetatem pubertatis; alii septennium vel etiam infra si malitia supplet. In Codice Juris nil determinatum habetur quoad aetatem requisitam ad valorem sponsalium,<sup>7</sup> sed expleto septennio usus rationis praesumitur.<sup>8</sup>

*Ut consensus scriptura exprimatur.* Conditio haec jam a Decreto *Ne Temere* inducta fuit ad valorem sponsalium; hodie vero a Codice Juris ad quamlibet promissionem matrimonii praescripta est.<sup>9</sup> Scripturam hanc quivis exarare potest et quocumque modo exarata sufficit. De essentia hujus scripturae est ut subsignetur (i) a partibus, vel ab eorum procuratore<sup>10</sup> et (ii) vel a parochō aut Ordinario loci vel a duobus saltem testibus. Sed si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotari debet, et tunc alius testis addendus est qui cum parochō vel Ordinario loci vel cum duobus testibus scripturam subsignet. Igitur si una pars tantum, dicamus sponsus, sit capax scribendi, hujus subsignatio non est necessaria licet suadenda, etsi praesens sit cum alio teste.

Ex dictis patet quod subsignantes scripturam esse possunt tres vel quattuor vel etiam duo tantum. Quoad supplementationem testium incapacium scribendi Codex nil dicit; ergo tales testes admittendi non sunt.

Scriptura hoc modo subsignanda vocari solet *forma sponsalium*. Praeter subsignationem de qua supra, ad valorem formae apponenda est vera data, i.e. dies, mensis et annus quo promissio fit.<sup>11</sup> Appositio loci, etsi suadenda, non videtur requirenda ad valorem. Neque requiritur ut parochus vel loci Ordinarius sit ille sponsorum proprius, dummodo in proprio territorio subsignet.<sup>12</sup> Sed invalida erit scriptura a sacerdote facta etsi a parochō vel Ordinario delegato.<sup>13</sup> Neque valida erit scriptura si omnes scribentes, i.e. testes, parochus, Ordinarius loci et testes unico contextu non subsignant; aliis verbis *omnes* subsignantes praesentes esse debent dum scriptura signatur.<sup>14</sup>

Hic notare etiam juvat omnes baptizatos teneri ad dictam formam si eorum matrimonio praemittere cupiunt validam promissionem. Verum est

<sup>7</sup> Jorio-Tummolo, op. cit., n. 708, ad 9.

<sup>8</sup> Can. 88, 3.

<sup>9</sup> Can. 1017, §1. 2.

<sup>10</sup> Sponsalia, sicut matrimonium, fieri possunt etiam per procuratorem, dummodo quae pro illo praescribuntur sedulo serventur. Praescriptiones sunt haec: (i) ut procurator mandatum speciale habeat; (ii) ut satis constet de ipso mandato v.g. per subscriptionem mandantis; (iii) ut ante subsignationem scripturae nec mandatum revocatum fuerit nec mandans in amentiam inciderit.

<sup>11</sup> SCC, 27 Julii, 1908, ad 2.

<sup>12</sup> SCC, 28 Martii, 1908, ad 3.

<sup>13</sup> SCC, 28 Martii, 1908, ad 6.

<sup>14</sup> SCC, 27 Julii, 1908, ad 1.

quod C.J.C. haereticos et schismaticos eximit a forma celebrationis matrimonii,<sup>15</sup> ast a forma promissionis neminem excipit.<sup>16</sup>

AD II. A Boschi, in *Perfice Munus!*<sup>17</sup> pulcherrimum articulum habet circa hanc rem. Imprimis cl. A. distinguit inter *forum externum* et *forum internum*. In foro externo, ex Can. 1017, §3, clarum est quod ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla justa causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen actio ad reparationem damnorum, si qua debeatur. In foro interno, i.e. in conscientia, auctores non conveniunt quoad obligationem standi promissis. Re quidem vera cit. A. très enumerat sententias diversas. *Prima sententia* tenet quod sponsalia valida inducunt gravem obligationem et quidem ex justitia ad matrimonium celebrandum. Sententia haec potius attribuitur P. Cappello S.J. qui tenet sponsalia esse contractum onerosum circa rem gravem, et si sponsalia firmata sint juramento alia obligatio gravis oriretur ex religione. Ideoque qui sine sufficienti ratione matrimonium promissum non contrahit, duplex peccatum committit, contra justitiam unum et aliud contra virtutem religionis.

*Secunda sententia* docet sponsalia valida parere obligationem disjunctivam pro sponsis, i.e. aut matrimonium promissum contrahere aut damna reparare quae ex deficientia causae sufficientis oriri possint. Sententia haec, modo speciali, attribuitur P.F. Wemz S.J. Ratio est quia secus confictus oriretur inter forum internum et forum externum hoc sensu quod confessarius obligat poenitentem ad celebrandum matrimonium promissum, dum parochus, qui esse potest idem confessarius, eundem poenitentem, vi legis, deobligat stare promissis. Unde potius intentioni legislatoris . . . conformius, quod is *per obligationem conscientiae* noluit ad matrimonia plerumque infausta *constringere*, sed contractum sollemnem validum admisisse in ordine *aut* ad matrimonium promissum celebrandum. *aut* ad damna sarcienda. . .

*Tertia sententia* tenet obligationem levem et quidem ex fidelitate tantum ad matrimonium promissum contrahendum et obligationem ex justitia ad damna reparanda si quae debeantur. Sententia haec, quae mediam viam tenet inter duas priores, est P. Cardinalis Gasparri. Ratio principalis istius est eadem ac Patris Vidal: etenim 'admissa gravi obligatione et ideo gravi peccato contra virtutem justitiae ex parte sponsi injuste resiliens, quomodo sponsus ad aliud matrimonium contra fidem sponsaliam posset admitti? Et quomodo parochus posset hujusmodi matrimonio

<sup>15</sup> Vide Can. 1099, §2.

<sup>16</sup> Gasparri P., op.cit., n. 75.

<sup>17</sup> *Perfice Munus!* XXV (1950), 209.

publice et aperte graviter peccaminoso, licite assistere?' Coeterum 'coactio fori interni . . . matrimonium infaustum redderet'.

Concludendum est ergo cum cl. Boschi quod tres praedictae sententiae sunt probabiles, sed ultima est probabilior. Omnibus enim nota est auctoritas Cardinalis Gasparri sive uti canonista sive uti principalis compilator et interpret Codicis Juris. Sententia ergo a tanto auctore tradita tuta conscientia in praxi sequi potest.<sup>18</sup>

Ad III. Responsum jam clarum apparet ex dictis ad II. Sumus enim in foro externo. Sed in hoc foro, uti habet Can. 1018, § 3 jam citatus, patet quod 'non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem' cum illa persona cui facta sit promissio licet valida sit et nulla justa causa excuset, quam deobligationem omnes canonistae et moralistae admittunt.

Ante Codicem res diversimode erat. Etenim illo tempore sponsalia valida et absoluta nedum impedimentum dirimens publicae honestatis producebant sed et impedimentum impediens matrimonium contrahendum cum alia persona. Et praecise haec erat ratio cur auctores ante Codicem unanimiter tenebant sponsalia parere gravem obligationem ex justitia matrimonium promissum contrahendi. Hodie haec duo impedimenta cessant quia diminuta est efficacia sponsalium. Igitur nunc non solum parochus sed nequidem episcopus potest ad fidem datam servandam compellere illum qui valida sponsalia implere recusat etsi sine ulla causa hoc faciat. A fortiori ergo parochus Marcellum impedire non potest quominus transeat ad matrimonium cum alia puella, cum sponsalia ab eo cum Columba inita invalida sint; deficit enim forma praescripta. Imo neque episcopus suspendere potest matrimonium Marcelli saltem usquedum actum fuerit de justa causa et de damnorum reparatione si quae debeantur.<sup>19</sup>

Reparatio damnorum tangit non solum illum qui a fide data injuste recedit, sed et illum qui perfectiorem vitae statum eligit, clericalem vel religiosam, nisi alia pars justam causam resiliendi dederit. Sed quid dicendum si damnum a puella passum reparari non potest nisi per matrimonium? Quidquid sit de proportionata reparatione damnorum unum certum est quod sponsus ad matrimonii celebrationem cogi nequit.<sup>20</sup>

Juvat hic etiam notare actionem de reparatione damnorum esse mixti fori, et ideo tum coram iudice ecclesiastico tum coram iudice civili prosequi posse.<sup>21</sup> Datur proinde locus praeventioni.<sup>22</sup> Et Codex noster Melitensis actionem praedictam agnoscit modo sponsalia facta sint ad normam

<sup>18</sup> Cfr etiam Ferreres-Mondria S.J., *Compendium Theologiae Moralis*, 1953, II n. 873.

<sup>19</sup> *Commissio Pontificia ad Can. Cod. auth. interpret.*, 2-3 Junii, 1918, ad I.

<sup>20</sup> Gasparri P., *op.cit.*, n. 105.

<sup>21</sup> *Commis. Pontif.*, 2-3 Junii, 1918, ad II.

<sup>22</sup> Can. 1553, § 2.

*Ordinanza XIV* anno 1913 habitae.<sup>23</sup>

AD IV. Non obstante mutua traditione anulorum et seria voluntate Marcelli sponsi in uxorem ducendi Columbam, ex dictis patet sponsalia, de quibus in casu, nullam obligationem inducere in foro externo sed nequidem in foro interno. Non in foro externo quia non datur actio ad petendam celebrationem matrimonii; neque in conscientia quia dicta sponsalia erant *informia*, h.e. deficiente *scriptura*. Atqui promissio informis nullos effectus habet juridicos cum in Can. 1017 §1 clare et expresse dicatur 'Matrimonii promissio, sive unilaterialis, sive bilateralis seu sponsalia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam...'. Scripturam hanc Marcellus et Columba neglexerunt etsi apud nos nunquam in usu fuerit nec sit. At haec lex, scripturam praecipiens, non respicit nec usum nationis, nec ignorantiam neque aliam causam, puta dolum; aliis verbis non admittit excusationes cum irritans sit et propter bonum commune condita.<sup>24</sup> Neque dicatur quod vir honestus promissis stare debet. Ita est modo generali loquendo, sed quoad sponsalia nullum valorem habet dictum hoc. Igitur in casu nostro nulla obligatio, nequidem levis ex fidelitate, hebetur in Marcello ducendi Columbam. Dum e contra haberetur haec levis obligatio, saltem juxta probabiliorem sententiam, uti vidimus, si sponsalia confirmata fuissent scriptura. Inutiliter ergo interrogavit confessarius noster Marcellum utrum in promissione Columbae facta seriam firmamque voluntatem habuerit illam in uxorem ducere statim ac invaliditatem sponsum cognoverit.

Peiori modo se gessit confessarius erga sponsum quando, verbis gravioribus, illum obligavit primam sponsam in uxorem ducere et secundam relinquere quia secus reus esset peccati gravis. Juvabit huc graviareferre verba quibus P. Taverna, Theologiae Moralis Professor, saepe uditores dicitur monuisse: 'Non affermiamo che c'è peccato mortale, se non è più che evidente. Non è lecito prendere le cose alla leggiera su questo punto. Pensiamo che non si tratta di una cosa da nulla, ma si tratta dell'inferno'.<sup>25</sup> Ad rem praeterea spectant Card. Gasparri verba: '... confessarius, parochus, ordinarius possunt et etiam debent sponsum injuste resilientem adhortari ut stet promissis, sed si sponsum, non obstantibus consiliis caritativis et adhortationibus, in sua voluntate permaneat contraria matrimonio, confessarius non potest ob peccatum leve absolutio-nem denegare, nec parochus aut Ordinarius matrimonii celebrationem

<sup>23</sup> *Ordinanza XIV*, anni 1913 emendationem continet articuli 941 *Ordinanza VII*, 1868.

<sup>24</sup> Vide Can. 16.

<sup>25</sup> Vide Boschi A., *art. cit.*, 219.

cum alia persona suspendere'.<sup>26</sup>

Tenetur autem Marcellus damna primae suae sponsae reparare hocque et justitia. Sed quaenam damna? Utrum et illa orta ex fornicatione? Sed ex fornicatione damna oriri possunt sive ratione prolis natae sive ratione virginitatis perditae. . . Sed in casu nostro primum damnum non habetur quia ex illa fornicatione filii nati non sunt; non secundum quia Columba cognovit, vel saltem cognoscere debuerat, sponsalia non producere jus ad coitum ante celebrationem matrimonii. Utique Columba cedit importunis praecibus Marcelli; tamen ipsa libere consentit fornicationi ne amitteret amorem sponsi. Si ex fornicatione Columba filium peperisset, tunc utique Marcellus graviter teneretur in solido cum Columba pro alimentatione et educatione hujus filii, nunquam vero, etsi valde optandum, ad matrimonium cum sponsa concludere.

A. TABONE

<sup>26</sup> Gasparri P., op. cit., n. 101.